

tutem sequitur divinam. Quemadmodum verum est, si qua peperit, cum viro concubunt, verum autem circa pariendi vel concipiendi modum, quem novit natura, non autem verum circa modum quem naturæ non inæertum supra naturam penes se habet auctor et institutor naturæ. Ut autem virtus Dei et in mensa valde transgreditur communem naturæ modum, ita et sensum, præcipue vero humanum corruptum atque infirmum, nec in ullo quidem effectu virtutis divinæ, æque ut in Dominici corporis et sanguinis sacramento, deficere videtur vis rationis humanæ. In aliis fortasse aliquid potest, hic vero quid? Nunquid ei capabile est *qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa* non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, *sine panis et sine vini substantia*, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto, vel hæc accidentia in quo nata sint sine subjecto? Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. *Ratio hic totum ignorat, sed fides præsumit quod ratio non capit.* Ex rationis defectu proficit fides. Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. Quo autem hic

A ratio infirmior, eo fides fortior. Quo ratio hic minus vel nihil operatur, eo fides plus vel totum operans amplius meretur. Libenter igitur ratio hic succumbat, ut fidei meritum accrescat. Non invidet fidei merito, quia quod fides meretur, non meretur sibi ipsi, sed potius rationi. Fides enim evacuabitur [*supp. forte charitæ, aut ratio*], permanebit et merito fidei promovebitur. Fides non nisi in via, ratio autem erit et in patria, et ibi plena. Fides seminat, sed ratio metet. Pro merito fidei ratio remunerabitur, quia ad meritum quodammodo cooperatur, et non nihil, imo multum meretur. Meritum enim rationis est, quia se simplicitati non præfert fidei; non nititur præcedere, sed sequi. Quod si hoc non potest, non tamen contradicit, non inicitur suæ virtuti, sed gratiæ Dei. Cedit gratis, palmam concedit fidei; dat gloriam Deo constans ipsum potest facere [*f. melius ipsum posse facere*] quod ipsa non potest capere. Potissimum vero circa hoc sacramentum suum **1107** experitur et agnovit defectum omnimodo, nisi quia vel hoc videt esse rationabile, ut in Dei secretis homini ad credendum traditis, **1108** quod penetrari non potest ratione, non tamen excidat fide.

IN LIBRUM SEQUENTEM BREVE MONITUM.

Librum hunc De expositione missæ eruimus e manuscripto Colbertino, optimæ notæ et sexcentorum circiter, ut conjicere potuimus, annorum, n. 6101. Ex hoc autem initium Expositionis missæ, a Melchiore Hittorpio Colonis editæ anno 1568, e vetustis codicibus, quos non designat, desumptum esse manifestum sit, ex verbis scilicet ejusdem ipsissimis, usque ad Introitum missæ, a quo sunt omnia omnino diversa. Hanc autem eo probabilius Hildeberto tribuendam esse duximus, quo magis allegorias Hildeberto familiares sapit, et majorem habere videtur affinitatem cum cæteris ejus de sacra eucharistia poematibus, quorum præcipuo (quod huic Expositioni consequenter atteximus), et indubitanter Hildeberto in omnibus editionibus, et etiam ab ipso Hittorpio tributo, in sua illa auctorum de divinis officiis collectione, immediate subjungebatur in præfato manuscripto Colbertino 6101. Hanc porro præparationis methodum ad finem hujus ms. positam, ut ad rem opportunius, in ipso initio ponendam esse duximus.

VEN. HILDEBERTI

LIBER

DE EXPOSITIONE MISSÆ.

(E. ms. Colbertino, n. 6101. Nondum editus).

Qualiter se præparare debeant sacerdotes, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt.

Fugienda est sacerdotibus, qui ad efficiendum corpus et sanguinem Domini accedunt, superbia, invidia, detractio, murmuratio, odium, cupiditas, avaritia. Unde dicit Apostolus, quoniam qui talia agunt, « regnum Dei non possidebunt (I Cor. vi, 10). » Vitanda sunt et levia, et venialia peccata, in quantum possibile est humanæ naturæ, et præ-

C stiterit gratia divina. Debent summo opere amplecti castitatem, et continentiam studere. Si laicus, ut quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali; dicit enim Apostolus: Nolite fraudare invicem, nisi ad tempus, ut vacetis orationi (I Cor. vii, 5); » ergo sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; ergo laico semper carendum matrimonio.

« Qui enim manducat et bibit indigne, judicium